

# PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili fratri **RAPHAELI MONTIANO LIM**, Episcopo Laoagensi, ad cathedralem Ecclesiam Boacensem translato, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum in praesenti providendum sit Ecclesiae Boacensi, quippe quae, ante hos menses erecta, adhuc suo careat pastore, idcirco mentem ad te convertimus, quia episcopalis muneris obeundi iam iuculenta dedisti specimina, praesertim in sede Laoagensi. Volentes igitur Nos huic satis facere apostolicae necessitati, harum Litterarum Apostolicarum vi ac Nostrae potestatis plenitudine te vinculo Ecclesiae Laoagensis liberamus atque Ecclesiae **BOACENSI** Episcopum et Pastorem praeficimus, dato regimine omnique administratione, cum iuribus debitis. Te vero lege professionis fidei faciendae et iusiurandi fidelitatis erga Nos et Successores Nostros dandi eximimus; mandamus tamen ut hae Litterae Nostrae dero ac populo in cathedrali templo dioecesis tuae legendas cures die festo de praecepto. Quos dilectos filios et filias paterna voce hortamur, ut te humanissime suscipiant Ecclesiae localis praesidem rerumque divinarum magistrum, ac promptissime tuis pareant iussis, quae ad spiritalem eorum commoditatem dederis. Demum divinae gratiae copiam Beataeque Virginis Mariae praesidium tibi, Venerabilis frater, ex animo precamur. Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo sexto mensis Januarii, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo octavo, Pontificatus Nostri quinto decimo.

**JOANNES CARD. VILLOT**  
Secretarius Status

**MARCELLUS ROSSETTI, Proton. Apost.**